

Grundbuch

I

5

N^o 3^d

Zur K. K. Hof- und
Militär- und Ingenieur-
Schule

PECCATVM
 IN
 SPIRITVM SANCTVM.

AD
 SACRA PENTECOSTES
 PIE CELEBRANDA
 IN ACADEMIA IENENSI
 PROPOSITA
 COMMENTATIO
 QVINTA.



LITTERIS SCHILLIANIS.

ere ea-
obis re-

cœtu,
gratiam
nina de
uomo-
ruatoris
ortamur
pienter
bus ob-
bum dei
curetis,
namque
ili con-
ntatis di-
pente-

mens. p. 143e.



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.



DEI GRATIA
ERN. AVG. CONSTANTINVS

DVX SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM
ANGARIAE ET GVESTPHALIAE LANDGRAVIVS THVRIN-
GIAE MARCHIO MISNIAE COMES PRINCIPIS DIGNITATE
HENNEBERGIAE COMES MARCAE ET RAVENSBERGAE
DYNASTA RAVENSTEINII RELIQUA

RECTOR ACADEMIAE IENENSIS
MAGNIFICENTISSIMVS

SPIRITVS SANCTI GRATIAM

PRECATVR

C I V I B V S.

POSTQVAM enarrauimus, quid christiani doctores an-
tiquæ ac mediæ ætatis de peccato in spiritum san-
ctum statuerint quidue de diuersis eorum senten-
tiis sit iudicandum, instituti atque ordinis ratio postulat,
vt et recentiore dogmatis huius historiam persequamur
atque vti antea; ita et nunc inquisitionem eorum, quæ
tradita fuerunt, adiungamus. Inter varias illorum sectas,
qui christi doctrinam profitentur, primum locum roma-
næ curiæ addictis adsignamus. Exponunt isti omnino de
memorato peccato; ea tamen ratione, vt veram illius
indolem neque recte adcurateque; neque perspicue defi-
niant; sed luculenter significant, se, quod seruator no-
ster de peccato hoc edidit, effatum haud adsequutos esse.

A 2

Nec

Nec mirum hoc illi videbitur, qui cogitare velit, romani prafulis adfectatores in explanatione peccati huius vel patres ordinis ecclesiastici; vel magistros, nomine *scholarum* satis claros, sequi, illos quippe duces, quos a recta via aberrasse, antea monstrauimus. Alii igitur putant, eum se peccato in spiritum sanctum contaminare, qui opera spiritus huius, maxime christi miracula, pessimo genio adscribat: alii referunt huc obrectatores doctrinae caelestis atque aduersarios, quum illa aperte patefacta ac cognita fuerit: alii eos, qui omnem vitam suam sine respicientia peragant; aut ea sint mente, ut a sanctis viris nobis tradita: inprimis canones contemnant. Abunde haec omnia patent ex scriptis, quae romanorum sacrorum defensores in lucem emiserunt, ibique testimonia luculenta atque ad rem comprobendam satis idonea dederunt.

Quidam eorum arbitrantur, illos contra spiritum sanctum peccare, qui opera eius, maxime miracula, ad diabolum, veluti auctorem, referunt. In horum numero est IO. MALDONATVS. Illos enim grauissimi in spiritum sanctum peccati reos esse, iudicat, *qui miracula, quae in ecclesia fiunt, illaque maxime, quibus per exorcismos et eucharistiam daemones expelluntur, aut non credant; aut magiam interpretentur.* * Conspirat cum isto CORNELIVS A LAPIDE *

* *commentar. in Matth. cap. XII. p. 263.*

DE * atque eandem sententiam se adprobare, his significat verbis: *nota ergo, christum hic non loqui de omni peccato in spiritum sanctum; sed solum de blasphemia in spiritum sanctum, quæ verbis fit; eadem tamen cogitationis et operum est ratio, quum scilicet quis calumniatur opera, manifeste diuina et miraculosa ac pia et sancta dei, ad salutem hominum ab eo facta, quibus ipse fidem et veritatem confirmat, uti est eiectio demonum, quæ quum sint opera bonitatis et sanctitatis dei, attribuantur spiritui sancto, qui ex vi processionis et spirationis sue a patre et filio procedit, ut amor, bonitas et sanctitas: quum, inquam, quis hæc calumniatur eaque scienter ex malitia adscribit spiritui immundo, puta, diabolo, ut faciebant hi pharisæi, tunc dicitur, committere blasphemiam in spiritum sanctum. Talis enim directe iniuriatur deo illique admittit suam sanctitatem et munditiam, quæ adpropriatur spiritui sancto adeoque ex deo facit diabolum. Quæ dicta satis perspicue declarant, qualis opinio sit CORNELII A LAPIDE de peccato in spiritum sanctum. Præter CORNELIVM IANSENIUM, ** idem statuit IACOBVS TIRINVS* atque expresse scribit: *blasphemiam contra spiritum sanctum est, qua quis sciens et volens calumniatur opera diuina et miraculosa, ut hic erat expulsio demonum, quibus, quasi certis sigillis, probe nouit, deum obsignare et attestari et confirmare fidem et veritatem, a se**

A 3

tradi-

* commentar. in quatuor. euangel.
p. 264.

* commentar. in Matth. cap. XII.
tom. II. comment. in scriptur. sacr.

** terræuech. sive commentar. in
sancta christi euangelia p. 108.

traditam. Rationem, cur conuicium hoc nec patri; nec filio; sed spiritui sancto fieri, dicatur, itidem ex eo fuit, quia per illud dei bonitas ac sanctitas directe oppugnentur; hæ autem virtutes spiritui sancto; veluti maxime eius propriæ, attribuantur. Nec alii inter pontificios ab interpretatione hac dissentiunt, iique, qui iam adductis scriptoribus recentiores sunt. Sunt in illis BERNARDVS LAMIVS,* qui verba christi: *qui autem dixerit contra sanctum spiritum,* Matth. XII, 32. explicat per: *miracula mea vindicauerit demoni,* atque AVGVSTINVS CALMETVS,** vtpote qui: *in his rerum,* inquit, *circumstantiis iesus dei spiritum malo spiritui opponit, et pharisæi maligni spiritus operationi tribuunt, quæ iesus sancti spiritus virtute patraret. Hoc igitur totum blasphemie illorum scelus reputandum est.*

In sententiam hanc merito animaduersio censoria adhibetur, siue ad fundamentum illius animum aduertere; siue eam in se æstimare velimus. Nititur ista duplici falso principio, tamquam caussa, quæ illam effecit. Alterum est, christi effatum de peccato in spiritum sanctum spectare tantum ad pharisæos eorumque scelus, tam malitiosè in seruatorem editum, vt dicerent, eum ex hominibus dæmones eicere per beelzebulem, principem istorum, id quod cur adfirmetur, nulla suppetit firma veraque ratio.

Atror

* *commentar. in harmoniam; siue concordiam quatuor euangelistar. p. 239.* sanctum, quæ est in eiusdem prolegom. et dissertationibus in scriptura libros tom. II. p. 107.

** *dissertat. de peccato in spiritum*

Atrox quidem pharisæorum calumnia occasionem christo præbuit, de peccato in spiritum sanctum differendi ac testandi, hostes illos in culpa noxæ huius esse; attamen non propter nefarium iudicium de miraculis christi; sed ob perpetuum atque a seruatore præuisum studium, sancto spiritui resistendi; diuinam gratiam spernendi atque in statu mentis, omnis respicientiæ ac fidei expertis, vsque ad vitæ finem permanendi. Alterum continetur persuasionem; aut potius mentiendi ac fucum faciendi libidine, fieri adhuc apud romanis sacris addictos dæmonum depulsionem atque alia miracula, hæcque esse notam veræ ecclesiæ; quæ autem rebus fictis, fraudulentis, magicis, ludicris, superstitiosis adnumerari debere, a doctissimis viris iam dudum ostensum est.* Dimittamus tamen memorata principia. Sufficit, enarratæ opinionis de peccato in spiritum sanctum eam esse rationem, vt ipsa, se a christi sententia longe discedere, haud obscure prodat. Quis enim persuadeat sibi, seruatorem significare voluisse, peccare illum in spiritum sanctum, qui istius miracula inter dæmonis opera referat, quum hæc non ad sanctum spiritum; sed

* videantur: IO. GERHARDVS *loc. de ecclesia S. CCLXXXIV. p. 462. ac confession. catholic. lib. 11. artic. 5. cap. 4. p. 764.* IO. CONR. DANNHAVERS *dissertatione de miraculis veris falsisque, translata in eiusdem dissertation. academic. p. 713. ac libro inscripto: alerba sancta, contra MEL-*

CHIOREM CORNAEVM *eiusque defensionem miraculorum ecclesie catholice: MARTIN. SCHOOCKIUS in desperatissima causa papatus, cap. xxxv. p. 167. HENRIC. LYSIVS dissertation. de miraculorum defectu, Luthero male exprobrato.*

sed ad christum pertinent: quum peccatum in filium hominis a peccato aduersus spiritum sanctum diserte distinguitur: quum, qui talem iniuriam, qualem pharisæi, christo facit, resipiscere potest ac pristinam dei gratiam consequi: vbi autem in spiritum sanctum peccatur, nec penitentia; nec vlla veniæ spes locum habet.

Alii inter præfatis romani adsectatores existimant, peccatum in spiritum sanctum maxime cognitæ veritatis oppugnatione absolui, si quis caelestem doctrinam, postquam in eo diuinum salutaris scientiæ lumen accensum fuerit, nunc reiiciat; immo animum in illam hostilem præbeat; simul autem prodigia, virtute spiritus sancti facta, dæmoni tribuat. Qui ita sentiunt, illorum princeps est ROBERTVS BELLARMINVS. Quum varias de peccato in spiritum sanctum sententias percensuit ac diiudicat, ipse eam adprobat, qua putatur, *peccatum in spiritum sanctum proprie nihil esse aliud, quam veritatem cognitam et manifestam ex malitia improbare et tanquam dæmoniacam et detestabilem calumniari*. Adiungit: *dicitur autem peccatum in spiritum sanctum, non quia non sit etiam contra patrem et filium; sed quia spiritui sancto tribuitur operatio miraculorum et illustratio animorum ad cognoscendam veritatem, ac quibusdam interpositis: itaque ille peccat in spiritum sanctum, qui cognitam veritatem, spiritu sancto illustrante, improbat et signa ac prodigia, virtute spiritus sancti facta, tribuit satanæ.* Ad pro-

probandum id quædam adfert argumenta; eius tamen generis, vt nullum fere pondus momentumque habeant.* Ipsa opinio hæc partim cum ista, de qua paullo ante disputauimus, conuenit, in eo videlicet, delinquere in spiritum sanctum idem esse, ac seruatoris prodigia dæmoniacæ potentix attribuire; partim ab eadem discrepat, dum BELLARMINVS adfirmat, committi præcipue peccatum in spiritum sanctum, vbi quis cognitam veritatem malitiose repudiet atque adspernetur. Interpretatio hæc quamdam veri speciem præ se fert, inprimis eam ob causam, quoniam illa diuino apostoli testimonio, his concepto verbis: *si, postquam veri cognitionem adsequuti sumus, data opera peccamus, non iam vllum superest pro peccatis sacrificium*, ac paulo post: *quanto grauiore putatis adficiendum pæna, qui dei filium proculcauerit testamentique sanguinem, per quem lustratus est, pro profano habuerit et gratiæ spiritum adfecerit contumelia?* ebr. x, 26. 29. niti videtur. Sed tamen si cuncta accuratius expendantur, facile patebit, solam contemtionem veræ atque antea adprobatæ doctrinæ minus constituere propriam atque integram peccati in spiritum sanctum indolem. Non diffitemur, adducta apostoli effata de peccato hoc intelligenda esse; ista autem tantum sæpius dicti peccati adiuncta; non omnem ac veram illius naturam expresse indicant, eam quippe, qua peccatum in spiritum

B

san-

* de pœnitentia libr. 11, cap. 16.



sanctum a cunctis aliarum noxarum generibus distinguitur quae homo se illius reum reddit, quando licet recta cognitione sit instructus; tamen gratiae sancti spiritus conuer- tenti malitiose ac pertinaciter per omnem vitam resistit adeoque animus eius semper manet poenitentiae ac fidei in christum expers. Fieri sane potest, ut qui doctrinae diuinitus patefactae atque ab ipso intellectae fuerit adhuc obtrectator, is nunc meliorem mentem recipiat: ad deum reuertatur ac pristinam eius gratiam recuperet, id quod ubi contingat, minus iudicandum est, istum in culpa peccati contra spiritum sanctum fuisse. Malitia enim eius non durauit ad vitae finem. Nec pharisaos delicti huius aduersare, licet, quod si ponamus, ab eo illud fieri, qui *cognitam veritatem, spiritu sancto illustrante, improbet*, quemadmodum BELLARMINVS loquitur. Nam aduersarios illos christi in eorum numero exstitisse, qui a sanctissimo spiritu vere illuminantur, minus pronuntiandum est, si talis illuminatio intelligatur, qualis in codice sacro designata est.

Sequuntur ii praesulis romani adseclae, qui peccari in spiritum sanctum, existimant, dum a sanctis patribus tradita contemnantur. Ita rem explicat STANISLAVS HOSIUS* ac: *praesertim hoc esse, inquit, recte dicitur, in spiritum sanctum peccare et eum blasphemare, quae sunt nobis a sanctis patribus tradita, contemnendo violare*; praeterea autem, ut sententiae huic

* libello de expresse dei verbo, p. 328. oper.

huic auctoritatem conciliet, ex iure canonico hoc pontificis romani Damasi decretum, veluti graue testimonium, adducit: * *violatores canonum voluntarii grauiter a sanctis patribus iudicantur et a sancto spiritu, instinctu cuius ac dono dictati sunt, damnantur, quoniam blasphemare spiritum sanctum non incongrue videntur, qui contra eosdem sacros canones non necessitate compulsi; sed libenter, ut praemissum est, aliquid aut proterue agunt; aut loqui praesumunt; aut facere volentibus sponte consentiunt. Talis enim praesumptio manifeste vnum genus est blasphemantium spiritum sanctum, quia, ut iam praelibatum est, contra eum agit, cuius nutu et gratia sancti canones editi sunt.* Aperte falsa haec esse, inepta ac praecipue ad auctoritatem vtilitatemque ecclesiae romanae comparata, quisque, a partium studio alienus, facile perspicit. Quis sine iniuria fere in spiritum sanctum dicat, canones, quales pontificii intelligunt, ab isto profectos esse, vna cum aliis, quae a patribus sacri ordinis relicta atque ab interitu vindicata sunt. Quodsi enim et illa, ad nos translata, plane vera essent; non aliam tamen, nisi humanam, dignitatem tueri possent ac scriptis, quae instinctu diuino adflatuque composita sunt, auctoritate longe essent inferiora. Quis igitur sibi persuadeat, peccare eum contra spiritum sanctum, qui dogmata patrum ac canones spernit: saltem de iisdem haud benigne sentit, quum, nec solam scripturarum sacrarum despicientiam noxae huius

B 2

signum

* c. v. caus. 25. qu. 1.



signum exhibere, dicendum est. Immo, pontificiorum traditiones, vti vocantur, minus talem præ se habere fidem, qualem isti comminiscuntur, abunde constat.*

Nec denique mentio illorum omittenda est, qui voces *spiritus sanctus* non de tertia diuinitatis persona eiusque officio; sed de essentia dei, tribus personis communi, sumunt putantque, peccatum in spiritum sanctum esse peccatum in deum eoque patri, filio ac spiritui sancto iniuriam fieri. Præter alios, in opinione hac GILBERTVS GENEBRARDVS** est ac quosdam antiquioris ætatis doctores, qui idem statuunt, sequitur; eam tamen peruersam esse, perspicue ac satis firme ex eo videmus, quia christi effatis de peccato in spiritum sanctum prorsus repugnat. Expressis enim verbis seruator discernit illud a peccato in filium hominis ac pronuntiat, hoc: non illud condonari, *Matth. XII, 31. 32.* immo ab omni conuicio, quod deo fiat, quando dicit: *certo scitote, omnia hominum generi peccata et quæcumque mala dixerint, ea esse ignoscenda*, atque addit: *sed qui sancto spiritui maledixerit, numquam*

* legantur: LEON. HUTTERTVS *controuers. de verbo dei scripto et traditionibus non scriptis*, Vitemberg. MDCVI. PETR. MOLINÆVS libro *des traditions et de la perfection de l'écriture sainte*, Sedan. MDCXXXI. 8. 10. GERHARDVS *confession. catholic. libr. 1. part. 2. cap. 5. p. 126.* CHRIST. KORTHOLTVS *disquisitionib. anti-Baronian.* p. 182. THEODOR. HAKSPANIVS *exercitaz. de libertate chri-*

stiana, aduersus iugum traditionum tuenda Lubec. MDCLVIII. CHRIST. MATTH. PFAFFIVS *dissert. de traditionum non scriptarum speciebus, valore, certitudine, auctoritate, momento et pondere*, Tubing. MDCXXX. et plures alii.

** libro III. *de trinitate, quo symbolum Arhanasi expositum et a contumelias Valentini Gentilis vindicarum* continetur, p. 29.

quam adsequaturus est veniam; sed obnoxius est supplicio sempiterno, Marc. III, 28. 29. Quæ dicta firmissimam reddunt sententiam, eam esse peccati in spiritum sanctum naturam, ut id ab omnibus aliis noxarum generibus differat ac singulare quoddam constituat.

Ad causas, cur romanis sacris addicti peccatum in spiritum sanctum peruerse interpretentur; nec propriam eius formam expriment, præsertim falsa istorum persuasio referenda est, fieri posse, ut quis, peccati huius reus, veniam impetret, licet res hæc difficilis ac raro eueniat. CORNELIVS A LAPIDE* verba christi: *maledictum aduersus spiritum non ignoscetur*, Matth. XII, 31. ita explicat: *difficuler et raro remittetur et relaxabitur*. Idem IACOBVS TIRINVS** habet ac ROBERTVS BELLARMINVS*** scribit: *ac ne mirum videatur, si peccatum irremissibile dicamus, irremissibile ordinarie; sed non absolute, et alio loco: * dicitur irremissibile, quia ut plurimum eiusmodi homines non conuertuntur; nec eiusmodi peccata remittuntur, etsi absolute contrarium potest accidere et aliquando re ipsa accidit, sicut in morbis corporalibus eos vocamus incurabiles, qui ut plurimum non curantur, etsi quandoque curentur et eos vocamus curabiles, qui ut plurimum curantur, etsi quandoque non curentur*. Similia tradit CORNELIVS IANSENIUS,** episcopus

B 3

pus

* comment. in quatuor euangel. p. 264.

* libr. 1. de verbo dei cap. 17.

** commentar. in Matth. cap. XII.

** commentar. in concordiam euangel. cap. XLIX.

tom. II comment. in scriptur. sac. p. 134.

*** de penitentia libr. II. cap. 16.

pus Gandauenſis, ac his vtitur verbis: *quod dicitur blaſphemia ſpiritus, id eſt, in ſpiritum ſanctum non remittenda, intelligendum eſt, quod regulariter non remittatur et quod difficulter eius venia obtineatur.* Qui eiusdem nominis eſt, CORNELIVS IANSENIVS, * epiſcopus Iprenſis, non aliter iudicat ac ſeruatoris dictum, peccatum in ſpiritum ſanctum non eſſe ignoſcendum, ita exponit: *non quod remitti non poſſit agenti pœnitentiam; ſed quod vel difficile et raro; vel fortasſe numquam actu remittatur a deo, propter malitiæ enormitatem.* Nec alii diſſentiunt.

BERNARDVS LAMIIVS ** pronuntiat, peccatum in ſpiritum ſanctum difficillime, ægre, vix remitti, quia id malam mentem atque in malitia obfirmatam offendet, ac quamuis AVGVSTINVS CALMETVS *** fateatur, delictum illud ſua natura ita comparatum eſſe, vt omnem veniam tollat; adiungit tamen: *nec fines diuinæ bonitati; vel potentiæ præſcribere audeamus; ſicut neque eccleſiæ collatam a chriſto omnium criminum remittendorum poteſtatem cum Nouatianis negamus.* Nullum re ipſa crimen inexpiabile vltro quidem agnoſcimus. Præſto eſt enim ſemper crimini deſentibus remittendo. Præſto eſt ſemper eccleſiæ, vt auerſos a deo homines in eius amicitiam redintegret, modo pœnitudinis ſuæ intimæ minime fucata exhibeant documenta. GREGORIVM DE VALENTIA * atque alios, qui cum

* *tezezeuch, ſue commentar. in ſancti chriſti euangelia p. 108.*

** *comment. in harmoniam; ſue concordiam quatuor euangelistarum p. 239.*

*** *diſſertar. de peccato in ſpiritum*

ſanctum, tom. II. eiusdem prolegomen. et diſſertationum in ſcripturæ libros p. 108.

* *tom. III. diſput. I. quaſt. 14. p. 560.*

cum adductis auctoribus conueniunt, consulto præterimus. *

At vero et hæc pontificiorum sententia, peccati in spiritum sanctum veniam a deo impetrandam esse, præua est; nec solum scripturæ sacræ; sed etiam ipsi rei aduersatur. Ibi christus de peccato hoc simpliciter dicit: ἐν ἀφεθήσεται, bis hoc enuntiat, sine mutatione, atque de omni alio peccato, etiam in filium, subiungit oppositum: ἀφεθήσεται, *Matth. XII, 31. 32.* Alio loco rem ita exprimit: *qui sancto spiritui maledixerit, numquam adsequutus est veniam; sed obnoxius est supplicio æterno, Marc. III, 28. 29.* atque itidem absolute pronuntiat, ab iis nullam veniam expectandam esse, qui spiritui sancto iniuriam faciunt. Ut effatum suum reddat grauius atque illustret: *numquam, inquit, habebit veniam, atque: æterno supplicio obnoxius est.* Idem confirmat apostolus ac de iis, qui a deo deficient christumque iterum in crucem tollunt, quum ipsius spiritus sancti participes facti fuerint, scribit, esse ἀδύνατον, istos πάλιν ἀνακαλιζεν eis μετάνοιαν, vbi vox ἀδύνατον omnino per id, quod fieri haud potest, interpretanda est; nec vlla suppetit caussa, cur naturalem eius atque vilitatam significandi vim negligere velimus. Hoc ipsum probat, legatum christi de peccato in spiritum sanctum loqui, quia id est vnicum. cuius pœnam deus haud prætermittit. Patet id etiam ex ipsa re: ex ipsa delicti huius indole. Quis enim eorum, qui in spiritum sanctum peccant, veniam

* conf. IO. ADAM. SCHERZERVM *cap. IX. §. 24. p. 60.*
disputat. de peccato in spiritum sanctum

am sibi promittat, quum per omnem vitam sine resipiscencia permanet atque in detestabili mentis malitia mortalitatem finit. *

Quæ iam disputata sunt, ea luculenter monstrant, quanta sit sancti spiritus maiestas: quanta eius dignitas, vosque, CIVES, officii vestri erga istum admonent. Rediit per caelestem benignitatem tempus illud lætum festumque, quo in christianorum cœtibus oracula diuina de spiritu sancto eiusque illustribus muneribus, præsertim super seruatoris legatos largiter effusis, adnuntiantur. Vestrarum igitur partium est, vt occasione, sempiternæ salutis vestræ prospiciendi, ab ipso deo oblata, sapienter utamini: verbum diuinum eiusque interpretationes attente audiatis atque in vestra demittatis pectora hancque ob rem sedulo omnia deuotetis, quæ sanctissimo spiritui tristitiam adferunt. Ponite in eo curas ac cogitationes vestras, vt spiritus christi in animis vestris colloquet sibi domicilium idque semper in istis habeat; simul autem, piæ ac laudabilis consuetudinis memores, liberalitatem erga sacerdotes nostros declarate. P. P. primo pentecostes die anni christiani M DCC LV.

* vide IO. GERHARDVM *disputationib. isagog.* p. 940. IO. MVSÆVM *disputation. de peccato in spiritum sanctum* §. XII. CASPAR. ERASMVMBROCHMANDVM *Systemar. theolog.* tom. I. p. 199.

(L. S.)

00 A 6359

ULB Halle
002 916 746

3




VD 18

W 17

Retrow







53

B.I.G.

Farbkarte #13

Inches
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
Centimetres

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

CATVM
IN
M SANCTVM.

AD
PENTECOSTES
CELEBRANDA
DEMIA IENENSI
ROPOSITA
MENTATIO
QVINTA.

IS SCHILLIANIS.